

in tit. de Caus. pos. & prop. in princ. num. 1. Bald. in l. Una, Cod. Uti possid. idem Bald. in Certi, Cod. de Interdict. 8. column. num. 26. & ibi Gloss. ordinaria in verb. Competentibus, Cin. in l. Ordinarii, in col. n. 2. Cod. de Rei vend. & ibi Salyc. 1. col. num. 1. Gloss. notabilis & ordinaria in cap. Pastoralis, in gloss. magna in princip. de causa pos. & prop. & ibi Abb. 2. col. num. 12. Anton. 3. col. num. 17. Cardin. 2. col. n. 3. & communiter DD. Alex. in leg. Naturaliter. §. Nihil commune, in princ. num. 2. ff. de Acquir. posses. & non reperiuntur alia genera interdictorum nisi ista, secundum Bald. in dist. 1. Ordinarii, 2. col. n. 3. (t)

128 Interdictum igitur adipiscendæ competit hæredi de jure prætorio vel civili pro consequenda & adipiscenda possessione rerum hæreditarium, postquam jam adivit hæreditatem: nam cum in eo non sit translata possessio post mortem defuncti, licet adita sit hæreditas, ut in leg. Cum hæredes. ff. de Acquirend. posses. & supra dictum est; necessariò datur ei hoc interdictum pro possessione consequenda; & istud vocatur: Quorum bonorum: text. est in lege 1. & per totum. ff. Quorum bonorum, text. in leg. 1. & per totum, Cod. eodem titul. text. in §. Sequens, versic. Adipiscendæ, Inst. de interdictis. Et habet locum hoc interdictum tam ex testamento quàm ab intestato: text. est expressus in leg. 1. Cod. Quorum bon. text. in lege 2. & fin. eod. tit. & aperte probant verba generalia text. in dist. leg. 1. ff. eod. in princip. Et in specie istam conclusionem & declarationem ponit Azor. in Summa, Cod. de Interdictis, idem Azor. in Rubr. Quorum bonorum, in princ. Specul. in tit. de Testamentis. §. Nunc

(t) Interdictum adipiscendæ competit pro adipiscenda possessione, quæ antea non fuerat adeptata: text. in leg. 2. §. Adipiscendæ, de Interdict. Inst. eodem. Quod triplex est: Quorum bonorum, quorum legatorum, & Salvianum, de quibus late agit Menoch. de Adipiscend. remed. 2. & 3. Sunt & alia tria adipiscendæ possessionis remedia civilia, primum, ex leg. ultim. Cod. de Edict. D. Adrian. toll. sequens ex leg. 3. Cod. de Pignor. ultimum, ex officio judicis, de quibus Menoch. ubi supra remedio 4. 5. & 6. Hanc autem interdictorum divisionem diminutam esse, quæcumque interdictum possessorium, scilicet conservandi, reperiri contendunt Bald. in cap. 1. §. fin. de Prohibita feud. alien. per Federicum, Rip. in §. Nihil commune, num. 2. de Acquir. posses. Bolognet. 1. part. num. 48. quod interdictum competere asserunt, ubi filio impuberi, cui quæstio status hæreditatis movetur ex beneficio Carboniani edicti, differtur quæstio in tempus pubertatis, mittiturque in possessionem, vel si possideat, tuetur. & conservatur, text. in leg. 3. §. Missum de Carbon. edict. & in leg. 1. Cod. eod. verum hæc sententia vera non est, meritoque reprehenditur à Romano & Alex. in dist. leg. 1. à Fabio in §. Nihil commune, num. 4. Soc. Jun. num. 10. Bereng. Num. 1. part. num. 176. in Prælu. num. 13. Menoch. de Adipiscend. in prælu. n. 14. Baldi opinionem probat dicta lex 3. §. Missum, nam rejecta interpretatione Jasi ibidem, quam sequitur Socin. in dist. §. Nihil commune, & sibi adscribunt noviores, & testatur Coffras. dist. numer. 13. in fin. existimantes, illud interdictum extraordinarium esse, & ideo in divisione Justiniani & Ulpiani nullam ejus fieri mentionem; respondendum est, interdictum retinendi includi, ut rectè advertunt Romanus, Alex. quos sequitur Menoch. ubi supra.

dicendum, in princip. ubi omnino vide Rosfred. in libellis suis in 2. part. in Rubric. de interdicto: Quorum bonor. in princ. & aperte vult Gloss. ordinaria in leg. 1. Cod. de Edict. div. Adrian. toll. supra verb. legitimo, versicul. Item quæro, & ibi Cin. 2. column. 3. oppos. Bart. ibi: 3. column. numer. 5. Alb. ibi, antep. column. in fin. versicul. Item quæritur, & meliùs quàm alius ibi Paul. 6. column. num. 14. & ibi Salyc. Jas. ibi, antepenultim. column. numer. 28. Corn. ibi, penult. column. in princip. tenet Salyc. notabiliter in leg. 2. Cod. Quorum bonorum fin. quest. Rip. in Rubr. ff. Quorum bonorum 2. col. in fin. versic. 8. differentia. Plat. in Summa, versicul. Restitutoriam post princip. Insti. de interdictis. Ang. de Aret. in §. de Actio.

Item adde, quòd datur & competit hoc interdictum solum hæredi, vel successori universali in tota hæreditate, vel quota, ex tali causa vel titulo ex quo transit dominium sine traditione, ut est successio hæreditatis de jure civili vel prætorio, vel restitutio Trebelliani, vel petitio bonorum causa libertatum conservandarum: non autem competit particulari successori in re certa, puta, legatario, vel hæredi instituto in re certa, alio dato cohærede universali, vel donatario causa mortis; nam licet in legatarium, vel donatarium causa mortis transeat dominium recta via post mortem defuncti; non tamen competit eis hoc interdictum pro adipiscenda possessione: text. qui sic debet intelligi in lege 1. in fin. ff. Quorum bonorum, ibi: Et ad universitatem bonorum non ad singulas res pertinet, & ibi Gloss. fin. in finali exposit. & ibi tenent & declarant Din. Alber. & Angel. & bene Franc. de Rip.

Ibi, final. column. & istam doctrinam, & theoriam ponit Bald. notabiliter in leg. Incerti, Cod. de Inter. 6. column. num. 12. quem omnino vide: facit glossa expressa in leg. final. Cod. de Edict. div. Adrian. toll. in verb. Ex parte, in princip. ubi dicit, quòd remedium possessorium adipiscendæ illius legis competit tantum hæredi universali, non verò particulari, puta legatario, vel instituto in re certa, alio dato cohærede universali: argumento textus in leg. 1. §. Si ex fundo. ff. de Hæred. instit. & in leg. Quoties. Cod. de Hæred. instit. & illam Glossam sequuntur ibi Bart. 5. column. num. 8. Bald. 9. column. num. 38. Paul. 3. column. num. 7. Corne. 2. column. num. 8. & notabiliter ibi Philipp. Dec. 6. column. num. 23. Jas. ibi, 3. column. in fin. Alexand. quam vide in leg. Quoties de Hæred. inst. penultim. column. num. 7. Ex qua regula & doctrina ego infero, quòd non competit hoc interdictum emptori totius patrimonii alicujus viventis, nec emptori hæreditatis defuncti; cum non sit successor universalis ex ultima voluntate, nec transeat dominium ipso jure solo titulo: Quod est verum ex persona propria; sed ex persona hæredis vendentis competet: argumento textus in leg. Emptor. hæreditatis. Cod. de Hæred. vel act. ven. & in leg. 2. ff. eod. cum simil.

Item datur & competit contra quemlibet possessorem universalem hæreditatis defuncti, vel contra quemlibet particularem possessorem vel detentatorem alicujus rei; ita probat textus in dist. leg. 1. ff. Quorum bonorum, in princip. Ibi dum dicit: Quod de his bonis pro hærede aut pro possessore possides, &c. & per eum ita tenet Glossa ordinaria ibi, in gloss. fin. in princ. & ibi Angel. de Perus. & Rainer. & meliùs & expressiùs ibi Franc. de Rip. fin. column. in princip. & tenet Glossa expressa in leg. 2. Cod. Quorum bonorum in glossa final. & ibi Angel. de Perus. & Salyc. num. 4. Rosfr. in Libellis suis, in 2. part. in Rubr. de interdicto: Quorum bonorum, in glossa final. in princip. num. 8. Speculat. in titul. de Testament. §. 1. num. 4. Angel. de Aretin. in §. Quadrupli. de Action. 11. column. num. 34. Pro qua sententia & conclusione facit bonus textus in leg. Regulariter in fin. cum leg. sequent. ff. de Petit. hæred. ubi habetur, quòd petitio hæreditatis datur contra possidentem totam hæreditatem, vel aliquam rem particularem: & per eum ita tenent ibi Glossa Bartol. Odofred. Bald. Angel. & communiter DD. textus Glossa & communis opinio in leg. 1. §. 1. ff. Si pars hæred. petat. & in specie per illum textum quòd idem sit in hoc interdicto, tenet Glossa ordinaria in §. sequent. versic. Adipiscendæ in glossa 1. Insti. de interdictis, juncto ibi textu.

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

Item adde, quòd istud interdictum competit tantum pro rebus, quas possidebat defunctus tempore mortis, & reliquit in sua hæreditate: non verò pro his quas illo tempore non possidebat; sed tunc oporteret agere remedio petitorio, scilicet rei vindicatione, vel Publiciana: ita probat textus in leg. Item videndum §. final. junct. leg. sequent. quæ incipit: Et non tantum. ff. de Petit. hæred. ubi habetur, quòd petitio hæreditatis, quæ maximam habet similitudinem cum hoc interdicto, solum competit pro illa rebus quas defunctus reliquit in suo patrimonio & hæreditate; & ad hoc notat ibi Bartol. & communis opinio, ergo ita dicamus in hoc interdicto: ita tenet Cin. in leg. 1. Cod. Quorum bon. 1. column. in med. Jacob. Butr. ibi, 2. column. in medio. Salycet. in Rubr. eodem titul. 1. column. num. 3. Alber. in leg. 2. ff. eodem titul. Bartol. in leg. 1. fin. column. in fin. Cod. eodem, imò etiam datur pro rebus tantum detentis à defuncto, ut ibi dicit Bartol. & DD. ubi supra: Glossa in §. Sum autem, versic. Restitutoria, in glossa pro possessore, de interdictis, & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Petr. de Bellapert. in leg. 2. in princip. Cod. Quorum bonorum, ubi subtiliter dicit, quòd licet possessio defuncti non continuetur in hæredem; tamen illa possessio, quæ erat apud defunctum tempore mortis, operatur ut competat hoc interdictum hæredi ut consequatur eam, & restituatur hæres ad illam rem & possessionem, quæ per tertium sit ablata vel occupata post mortem defuncti; & ista est intentio & notabilis declaratio Petri de Bellapert. & pro hoc ego considero textum, & iste est ejus sensus, in leg. 1. ff. Quorum bonorum, in versic. primo, ubi dicit, hoc interdictum restitutorium est: quasi velit dicere, quòd possessio rei, quæ erat penes defunctum si, post ejus mortem reperitur penes alium, restituatur hæredi: ad idem facit textus in §. Summa autem, vers. Restitutoria, Inst. de interdictis, & iste est sensus Glossæ ibi, in verb. Bonorum possessori, in finalibus verb. ubi dicit, quòd inspecta persona defuncti, istud interdictum est restitutorium; inspecta vero persona hæredis, est adipiscendæ: & ibi tenet & sequitur Faber. num. 2. Angel. ibi, 3. col. in med. & in expresso ita tenet & declarat uno verbo Jacob. Butrig. in leg. 1. Cod. Quorum bonorum. 2. column. in medio, & ista est intentio Paul. de Castr. in leg. 2. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. 2. column. in fin. imò, quòd magis est, dico, quòd talis hæres debet probare illas res fuisse penes defunctum tempore mortis; cum sit causa & fundamentum suæ intentionis, sicut dicimus in remedio possessorio adipiscendæ, leg. fin. Codic. de Edict. divi Adrian. tollent. ut tenet

Rr

ibi

ibi Bartol. penult. colum. prope finem, & Dec. 12. colum. num. 40. Confirmatur, quia semper quis tenetur probare illud quod est causa suae intentionis, ut in leg. In illa stipulatione si Caletend. cum leg. sequent. & ibi notant Bart. & DD. ff. de Verbor. obligat. cum similib. 1. 1. 1. 1.

Item adde, quod ita demum istud interdictum competit contra possessorem vel detentorem rei hereditariae, quando eam possidet sine aliquo titulo: secus vero si habet vel possidet cum titulo; quia tunc non competit contra eum hoc interdictum: textus est, qui sic debet intelligi, in leg. 1. ff. Quorum bonor. ubi dicitur, quod datur hoc interdictum contra eum qui possidet pro haerede, vel possessore: & ibi tenet & notat solus Rip. 1. colum. 2. notabil. textus in leg. 2. Cod. eodem tit. in fin. & ibi expressè tenet & notat Angel. de Perus. in fin. idem tenet Spec. in tit. de Testamentis. §. Nunc dicendum. 2. colum. versic. Et nota quod hoc interdictum, ad idem est casus in §. sequent. versic. Adipiscendae, instit. de interd. & ibi expressè, & notabiliter tenet Plat. 1. col. 1. not. tenet Angel. in §. Quadrupli. Instit. de action. 10. colum. num. 34. & pro hac sententia & conclusione est Glossa ordinaria quae non allegatur in leg. 1. versicul. Rediguntur. ff. Quorum legat. in verb. Ut perinde, in fin. quam vide. Ex quo infertur clarè, quod hoc casu necessario recurrendum esset contra talem possessorem cum titulo ad rei vindicationem.

Item adde, quod postquam semel haeres adeptus est possessionem rerum hereditatis, amplius sibi non competit hoc interdictum pro illis rebus; imo si ageret, succumberet, tamquam proponens ineptam actionem, ita notat Petr. Bellaper. in leg. 2. Cod. Quorum bonor. in fin. Salyc. in Rubric. 2. colum. eodem tit. num. 5. & istam conclusionem tenet Glossa ordinaria in cap. 1. de Confes. lib. 6. in glossa 1. magna, in fin. & ibi communiter DD. pro quibus est casus expressus in leg. 2. §. Haec autem interdicta, in fin. ff. de Interd. cuius verba sunt, adipiscendae possessionis, sunt interdicta quae competunt his qui ante non sunt nati possessionem, textus in §. Sequens prope fin. versic. Itaque eodem Instit. cuius verba sunt, itaque si quis adeptus possessionem amiserit, eam, hoc interdictum ei inutile est, & expressè ibi tenet & notat Plat. 2. colum. & 2. notabil. & idem est in petitione hereditatis, & in remedio leg. final. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. & in quolibet alio iudicis possessorio adipiscendae possessionis, ut latius suo proprio loco dico.

129 Item adde, quod istud interdictum adipiscendae Quorum bonorum, non datur nec competit contra debitores hereditarios personaliter

obligatos, ut virtute ejus haeres mittatur in possessionem debiti: textus est notabilis & subtilis in leg. 2. quae est final. ff. Quorum bonor. cuius verba sunt, interdicto quorum bonorum debitores hereditarii non tenentur, sed tantum corporum possessores, & ibi notat Glossa ordinaria, & communiter DD. & ratio illius textus est, quia omne remedium seu iudicium possessorium causatur & producit immediate à sola possessione, tamquam à primordiali causa & fundamento non vero ab alia causa vel titulo, ut dixi: sed ipsum debitum personale, actio, vel obligatio qua tenetur debitor, non possidet à creditore, sed tantum persona ejus est sibi obligata: textus est in l. Obligationum substantia, in princip. ff. de Action. & oblig. textus in leg. Actionum genera, versic. Personam, eodem tit. cum similib. ergo, cum possessio in isto casu non fuit penes defunctum, merito non competit haeredi hoc interdictum; & in effectu istam rationem ponit Alber. licet sic non declaret, in dist. leg. 2. Quorum bonorum, & est ratio vera & concludens. Nec huic conclusioni & rationi obstat illa Glossa singularis communiter approbata in leg. Regulariter. ff. de Petit. hered. in gloss. fin. ubi dicit, quod creditor possidet saltem improprie jus quod habet in debito vel obligatione personali, & similiter debitor possidet illud passivè improprie: quam Gloss. ad hoc reputat ibi singularem in jure Angel. de Perus. in princip. num. 2. & sequuntur alii DD. & illam Glossam dicit singularem Roman. in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. final. colum. in fin. illam etiam Gloss. commendat Alexand. in leg. 3. eod. tit. 2. col. num. 2. Vincent. ibi, 1. colum. in princip. Jas. ibi, 2. colum. in princip. pro qua Glossa & conclusione facit textus in leg. Etiam. §. fin. cuius verba sunt, item à debitore hereditario quasi à juris possessore, &c. ff. de Petit. hered. & ibi Glossa expressa text. in leg. Quod si in diem. §. Julianus, versic. Idem Julianus, ibi; Et veluti juris possessor est, eodem tit. Quia respondeo notabiliter, quod illa possessio est nimis impropria, vel improprie: unde non producit aliquod remedium possessorium: ita in specie reperio quod respondet Cin. in leg. Si certis annis. Cod. de Pactis, penult. col. in fin. ita etiam tenet & respondet Bald. in dist. l. Regulariter. 2. lect. de Petit. hered. Ang. de Aret. in §. 1. Instit. de interd. 2. col. in med.

Advertendum tamen pro declaratione huius interdicti quorum bonorum, & materiae: Quia videtur quod nullò modo sit necessarium istud remedium pro adipiscenda possessione, cum possit licitè & justè haeres apprehendere possessionem rerum hereditatis propria auctoritate, tamquam verus dominus, ut latè & notabiliter con-

elusi supra ista lege: quia ad hoc respondeo, quod ita demum haeres potest apprehendere possessionem propria auctoritate, si sunt bona vacantia, & non sunt occupata vel possessa ab aliquo tertio, ut ibi dixi; tunc enim fateor quod non est necessarium istud remedium: si vero bona quae testator relinquit in sua hereditate tempore suae mortis, nunc reperiantur occupata vel possessa ab aliquo tertio; tunc proprie competit & est necessarium istud remedium quorum bonorum contra illum, pro adipiscenda possessione, quando non possideret cum titulo justò, ut supra dictum est: & in hoc consistit virtus & necessaria intelligentia huius articuli: Imò, quod magis est, numquam istud interdictum posset competere pro adipiscenda possessione bonorum vacantium, sed tantum eo casu quo ab aliquo sint occupata: nam interdictum semper requirit agentem & reum, cum dicatur inter duos, ut in §. Summa autem, in finalib. verb. Institut. de Interdictis, ibi: Sed tamen obtinuit omnia interdicta appellari, quia inter duos dicuntur: & in specie ita tenet & declarat solus Rip. in Rubr. ff. Quorum bonorum, 2. colum. vers. 5. differentia.

Item adde, quod agenti interdicto adipiscendae bene obstat exceptio domini, quando incontinenti venit probanda: Quod tamen intellige, nisi possessorium adipiscendae concederetur actori in poenam rei conventi; quia tunc non admitteretur talis exceptio, sed statim mittendus est actor in possessionem: ista est Glossa singularis in jure in l. fin. ff. de Rei vindic. in gloss. fin. in fine, juncto text. ubi, quando reus propter mendacium privatur possessione, & debet tradi actori, non potest opponere exceptionem domini, etiamsi incontinenti velit probare: & ad hoc illam Glossam notant & commendant ibi Bartol. Ang. de Perus. & communiter DD.

130 Item etiam dico, quod eo casu quo legatarius accepit & occupavit rem legatam propria auctoritate post mortem defuncti, competit haeredi interdictum adipiscendae, quod vocatur Quorum legatorum, pro adipiscenda & consequenda possessione rei, vel rerum, quas occupavit legatarius: text. est in leg. 1. in princip. ff. Quorum legatorum, ibi: Ut quod quisque legatorum nomine, non ex voluntate heredis, occupaverit, id restituat haeredi, & per totum illum titulum: & ad hoc notant ibi Bartol. Alberic. Ang. & DD. text. in l. unic. Cod. eod. tit. & ibi Bartol. Cin. Alberic. Ang. Bald. Salyc. & communiter DD. & ita tenet & declarat ista jura Azor. in Summa, Cod. eodem. Rofred. in Libellis suis in 2. part. in Rubric. de interdicto quorum legatorum. Specul. in tit. de Testamentis. §.

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

Nunc dicendum, 3. colum. versicul. Verum quia frequenter. Ex quo patet, quod isto casu datur remedium & interdictum adipiscendae contra titulo possidentem.

131 Adde tamen, quod istud interdictum solum habet locum & competit, quando haeres petit restitutionem rei legatae apprehensa per legatarium, quia imminet ratio legis Falcidiae, & vult uti retentione pro ea: aliter vero non competit, sed justè legatarius retinebit: ita probat aptè text. in leg. unic. Cod. Quorum legatorum in princip. ibi: Per quartae retentionem. &c. & in fin. ibi: Ut ita retentione competentis utaris, & ibi expressè tenet Gloss. final. in princip. & ibi Petr. de Bellapert. Cin. qui notabiliter loquitur Alb. Bald. Salycet. & communiter DD. tenet etiam Azor. in Summa. illius tit. in fin. numer. 5. Rofred. in Libellis suis 2. part. in dist. Rubric. de interdicto quorum legatorum. 1. colum. vers. Septimum est, licet littera ejus sit corrupta: tenet etiam Gloss. ordinaria, in leg. 1. versic. Rediguntur, in verb. Perinde, in fin. ff. Quorum legat. & ibi tenet Bart. in fin. num. 4. & ibi notat Ang. de Perus. in fin. & ista est magis communis opinio secundum Rip. ibi, 4. colum. numer. 24. licet Odofr. & Oldrad. quos ipse refert & sequitur, tenuerunt contrarium. Ex quo infertur in practica, quod oportet quod haeres tempore quo agit hoc interdicto fundet intentionem suam in hoc, scil. quod imminet ratio leg. Falcid. Unde si liquidè constaret quod non imminet, vel in casibus cessat Falcidia, non poterit agere hoc interdicto.

132 Unum tamen est, quod in neutro casu legatarius amisit jus suum, licet acceperit rem legatam propria auctoritate; imò poterit consequi ab haerede: ita casus expressus in dist. l. 1. ff. Quorum legat. vers. Rediguntur, ibi: Ut perinde legatarii possint eum convenire. Sed advertendum est, quod contra hoc est casus expressus & terribilis in l. Non est dubium, Cod. de Legat. ubi probatur, quod imò amittit legatarius jus suum, si occupat rem legatam propria auctoritate: cuius verba sunt: Non est dubium denegari actionem legatorum ei proportionem competentem his pro rebus quas subtraxisse eum de hereditate apparuerit, & ad hoc illum textum reputat singularem in jure Paul. de Castr. in princip. & commendat ceteri DD. Sed pro concordia & declaratione dico, quod si legatarius accepit rem legatam propria auctoritate ante aditam hereditatem per haerem, vel post aditam, ante tamen apprehensam possessionem; non amittit legatarius jus suum, licet teneatur interdicto quorum legatorum illam restituere haeredi, quando imminet Falcidia, ut supra dictum

Rr 2

est:

est: & ita procedat & intelligatur text. in dict. leg. 1. versicul. Rediguntur, ff. Quorum legat. Si verò accepit rem legatam propria auctoritate post aditam hæreditatem per hæredem, & post apprehensam possessionem; tunc perdit jus suum, & sic legatum: & sic debet intelligi texti in dict. leg. Non dubium. Codic. de Legat. & ita in expresso determinat Glossa ordinaria in dict. leg. Non est dubium, in gloss. 1. in vers. Vel ibi ante aditam hæreditatem, & eam tenet & sequitur ibi Bart. Cin. Jac. Butrigat. Faber. in Breviario, Angel. Bald. Salyc. & Paul. Alex. Corn. & Jason. idem etiam tenet Gloss. in dict. leg. 1. versicul. Rediguntur, in verb. Ut perinde, ff. Quorum legatorum, & ibi Bart. in princip. num. 2. Alberic. Angel. & DD. antiqui ibi, & ibi Rip. 3. column. in fin. idem tenet Gloss. in leg. unic. Cod. Quor. leg. in gloss. final. post princip. & ibi Bartol. Jac. Butrigat. Bald. Salycet. & communiter DD. & ita tenet Azor. in Summa illius tituli in fin. & istam concordiam & intellectum tenet Gloss. notabilis in cap. fin. de Success. ab intestat. in gloss. penult. & ibi Joan. Angel. fin. column. in fin. Anton. penult. column. in fin. Cardinal. final. column. in princip. & alii DD. ibi: & tandem ista est communis & recepta opinio Legistarum & Canonistarum.

Sed certè iste communis intellectus & concordia numquam mihi placuit, neque credo quòd iste fuit sensus illius legis: Non est dubium: Primò, quia ille text. præsupponit vitium & delictum in legatario, ex eo quòd dicit, subtraxisse, argumento text. in leg. 1. versic. 1. ff. de Abigeis. ubi dicit Abigei autem proprie habentur, qui pecora ex pascuis vel armentis subtrahunt. Secundò, quia cum legatarius sit dominus rei legatæ; imò licet non esset, cum habeat justum titulum in ea; dato quòd occupet propria auctoritate, & sit injustus possessor, adeò ut non quærat in dominio, nec usucapiendi conditio, & teneatur restituere domino, à quo habuit titulum, ut in leg. Si stipulatione, supra, isto tituli. & in leg. Improbati. & in leg. Neque ex vera. Codic. eodem tituli. tamen non propterea perdit jus quòd habet ad illam rem ex titulo oneroso, nec ex lucrativo: ita singulariter dicit Paul. expressiùs cæteris, in dict. leg. Si ex stipulatione. 1. column. in fin. & Vincent. ibi, 1. column. num. 2. & est de mente omnium: Ergo legatarius non perdat. Tertio, quia considero, quòd ita demum quis punitur in amissione rei, vel juris, quando intervenit violentia expulsiva, vel ablativa, ut in leg. Si quis in tantam, Codic. Unde vi, & in leg. Stat. ff. Quod metus causa, non verò aliàs: ergo licet legatarius accipiat propria auctoritate sine aliqua violentia, non debet amittere.

Quartò, quia illa lex non loquitur solùm eo casu quo post aditam hæreditatem & apprehensam possessionem per hæredem legatarius subtrahit, imò simpliciter etiam jacente hæreditate; eum textus dicit de hæreditate, & propriè hæreditas dicatur antequam sit adita per hæredem, ut in leg. 1. §. Vereres juncta Gloss. ff. de Acquirend. possess. cum similib. Unde circa intellectum illius legis satis cogitavi, & reperio, quòd ultra communem est alius secundus intellectus; scilicet, quòd intelligatur quando legatum fuit in genere, non in specie: quò casu, cum non sit translatum dominium in legatarium, meritò punitur si aliquid ex rebus defuncti occupet propria auctoritate: ita reperio quòd tenet Rosfred. in Libellis suis, 2. part. in Rubric. de interdito quorum legatorum, penultim. col. in fin. Sed nec iste intellectus placet, cum sit divinatorius: Undè teneo pro constanti, quòd verus & realis intellectus illius legis sit, quòd ibi legatarius accepit rem mobilem legatam in specie propria auctoritate, clam, & furtivè, modò ante aditam hæreditatem, modò post: quo casu, ex dispositione illius legis punitur in amissione juris, & meritò: secùs verò esset eo casu, quo palam propria auctoritate & non furtivè eam occupavit; quia tunc non amittit jus suum, per superiora fundamenta. Ex quo inferitur clarè, quòd si res immobilis fuisset legata, numquam amittit eam legatarius, licet eam capiat propria auctoritate sine violentia: & istum intellectum semper habui pro vero ad illam legem, & legendo eum tenui; postea reperi quòd eum ponit Angel. de Perus. in leg. unic. Codic. Quorum legat. 2. col. & isto casu procederet. 1. solutio Gloss. in dict. leg. Non est dubium.

133 Advertendum tamen est, quòd testator potest dare licentiam legatario occupandi rem legatam propria auctoritate: quo casu indistinctè numquam amittit jus suum, nec incurrit aliquam poenam: ista est Gloss. singularis & unica, junct text. in l. Titia, cum testam. §. Lucius Titius. ff. de Legatis 2. in gloss. fin. versicul. vel tertio, & ad hoc summè notat Bartol. Bald. & Paul. & reputat singularem Joan. de Imol. notant etiam & commendant Angel. Sal. Paul. Jas. & communiter DD. in dict. leg. Non est dubium, Cod. de Legatis, notat etiam & commendat Bartol. in leg. Creditores, Codic. de Pignori. 2. lectur. 3. col. num. 9. notat etiam & commendat Bald. in l. 1. Cod. Comm. de Legat. 4. col. num. 18. idem Bald. in leg. Legis Julie, in fin. Codic. Qui bon. sed. poss. Bartol. in l. Legitimos. ff. de Legit. tutor. 1. col. n. 3. idem Bart. in l. Nemo potest. ff. de Legat. 1. 2. col. in fin. numer. 10. Ang. in l. pen. ff. Pro legato, & ultra eos illam

illam Gloss. dicit unicam Alb. in leg. 1. in fin. ff. Quorum legat. Imo etiam tacitè potest testator dare licentiam legatario ut propria auctoritate capiat legatum: ita singulariter Ang. de Perus. argumento illius text. in leg. Hæc si res. ff. de Rei vendic. & illud dictum reputat singulare Jas. in dict. leg. Non est dubium, Cod. de Legat. 2. column. in medio, & DD. Segur. in Repetitione leg. Unum ex familia. §. Sed si fundum. ff. de Legat. 2. fin. column. Alexand. in leg. Nemo potest de legat. 1. 4. column. numer. 14. & ibi Jas. 7. column. num. 32. & ibi Rip. 13. column. num. 62. idem Rip. in leg. 1. ff. Quorum legat. 2. col. Roman. in Authent. similiter. Cod. ad leg. Falc. 20. speciali, & exempla hujus articuli vidi in dictis locis.

134 Sed juxta prædicta quæro, in quo differat istud remedium adipiscendæ quorum bonorum, & remedium legis fin. Cod. de Edict. divi Adrian. & in quo sit necessarium; cum videatur sufficere interdictum quorum bonorum; imò illud generaliter & utilius est; cum competat tam ex testamento quàm ab intestato; remedium verò legis finalis solùm ex testamento: Pro cuius declaratione præsuppono, quòd si hæres sit institutus & scriptus in aliquo testamento sua forma & figura solemnè, non cancellato, nec in aliqua substantiali parte suspecto, potest virtute ejus petere à iudice ut mittatur in possessionem omnium rerum que fuerunt apud testatorem tempore mortis: iste est casus & propria dispositio text. in dict. leg. final. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. & ille text. & ejus materia non habetur alibi secundum Bartol. ibi in fin. principii, & Alber. 1. column. de qua decisione fecit mentio text. in leg. fin. Cod. de Codicil. versic. 2. & idem disponit lex 2. tit. 14. 6. partit.

135 Et illa dispositio procedit & habet locum in testamento in scriptis, & in testamento nuncupativo: Quòd declaro isto modo: nam procedit & habet locum in testamento in scriptis factò manu publici tabellionis, cum illa scriptura faciat fidem, & nulla requiritur publicatio, ut diximus 3. supra his legibus Tauri. materia testamenti in scriptis, imò quòd magis est, etiam habet locum in testamento in scriptis, quòd prima figura habet integram solemnitatem à jure requisitam, licet manu privata sit factum; nam statim potest mandari executioni, & virtute ejus potest hæres mitti in possessionem: ita Gloss. notabilis & ordinaria in dicta l. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. tollen. in verb. Depositionibus, & ibi Bartol. 3. column. 2. oppos. Paul. 2. column. num. 5. Faber. in Breviario, Corne. 4. column. Jas. 8. column. dicens esse notabile & necessarium: tenet Anton. Gomez, ad Leg. Tauri.

etiam Bald. in leg. final. Cod. de Fideicommiss. 3. column. Paul. in leg. 2. Cod. Quemad. testam. aperi. in fin. Contrarium tamen tenet Salyc. in dict. leg. final. 3. column. num. 14. imò quòd si testamentum non sit publicatum, non posset mitti in possessionem; quia nullam fidem habet: & ante eum ita tenet Innoc. in cap. fin. de Fide instrum. 2. column. & ibi Joan. Andr. 2. column. Anton. fin. column. Anchar. 1. column. Imol. 3. column. & est de mente omnium ibi. Sed pro concordia est tertia opinio, quòd si nullius apparet contradictor, procedat & habeat locum prima opinio; si verò contradictor appareat, testes recipiantur & testamentum legitime publicetur: ita tenet & concordat ibi Jacob. Butr. in dict. leg. final. 4. column. & ibi Alber. antepenultim. column. Bald. 5. column. numer. 20. Alexand. 6. column. num. 30. Philipp. Dec. 11. column. numer. 28. Bald. in cap. fin. de Fide instrument. fin. column. & quest. Sed ego indistinctè teneo primam opinionem Gloss. & DD. imò quòd sine publicatione mittatur hæres in possessionem; quia illa lex fundatur super quodam notorio, quòd resultat ex ostensione testamenti, & non tractetur de magno præjudicio, cum loquatur tantum in iudicio possessorio, & sic non videtur lex requirere aliam indagacionem vel probationem: & hoc videtur aperte probare prædict. lex fin. ibi: Sed quòd prima figura sine omni vituperatione appareat, & in expresso istam partem videtur probare dicta lex 2. tit. 14. 6. part. Hodie tamen, attentà superiori leg. 3. Tauri. quæ videtur probare, quòd in omni testamento in scriptis requiratur tabellio, prout ibi tenui & fundavi; cessat ista quæstio, quia hæres non posset mitti in possessionem, nisi ostenderet testamentum solemnè manu publici tabellionis. Similiter etiam habet locum illa lex fin. in testamento nuncupativo: nam si in eo intervenit tabellio, & est confecta scriptura publica, statim mandabitur executioni: si verò non intervenit tabellio, nec aliqua scriptura, sed coram testibus fuit factum testamentum, remedium erit, quòd fiat publicatio testium, & redigatur tenor testamenti in scripturam publicam, & poterit fieri missio in possessionem: ita Glos. singularis quæ sic debet intelligi in dict. leg. fin. in verb. Depositionibus. & ibi tenet, & declarat Bartol. 7. column. num. 17. & illam ad hoc dicit unicam Ang. ibi, 2. column. Bald. 10. column. numer. 40. Paul. 2. col. Salyc. 3. col. Alexand. 6. column. Corne. 5. column. Angel. de Aretin. in §. Quadrupli. Instit. de action. 12. column. numer. 43.

136 Item adde, quòd remedium & beneficium illius legis finalis competit hæredi uni-